START

Reel Contents

Reel Contents (2)

11. Wallrafen, W. A. / Die Einrichtung und kommunale Entwicklung der ...
12. Walther, E. / De dativi instrumentalis usu Homerico
13. Walter, F. / Studien zu Tacitus und Curtius
14. Widmann, H. / De Gaio Vettio Aquilino Iuvenco carminis ...
15. Werner, J. / Quaestiones Babrianae ...
16. Wernicke, J. C. / De Pausaniae Periegetae studiis Herodoteis ...
17. Wessig, H. / De aetate et auctore Philopatridis dialogi ...
18. Wetzell, C. / De usu verbi substantivi Tacitino
19. Werder, C. / De platonis parmenide
20. Stamer, A. / Die egkyklios paideia in dem Urteil der griechischen ...

Reel Contents (3)

21. Sexauer, H. / Der Sprachgebrauch des Romanschriftstellers Achilles ...
22. Stamkart, J. A. / Specimen litterarium inaugurale, exhibens ...
23. Seibel, M. / Die Klage um Hektor im letzten Buche der Ilias
24. Siegismund, A. J. / Quaestionum de metathesi graeca
25. Tanzmann, J. J. / De C. Plinii Caecilii Secundi vita, ingenio ...
26. Teetz, F. / Beiträge zur Rhythmopoiie des Sophokles
27. Siemering, F. O. / Quaestionum Lucretianarum particula I. et II.
28. Numenius / De Numenio philosopho Platonico
29. Theissen, W. / De Sallustii, Livii, Taciti digressionibus
30. Schemann, L. / De legionum per alterum bellum Punicum historia ...

Reel Contents (4)



EMENDATIONUM IN SOPHOCLIS FABULAS SPECIMEN.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

ACADEMIAE LIPSIENSIS

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

CAPESSENDOS

SRIPSIT

K. WALTER, FREIENBESSINGENSIS.

ARNSTADTIAE MDCCCLXXVII.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA FROTSCHERIANA.

Provinciam perpetuis acerrimisque certaminibus devastatam denuo infestare videbor, cum de locis aliquot Sophocleis conjecturas novas in medio proponere audeam. Exhaustus enim est fons, qui e vetustissimo codice diligenter excusso redundabat, exhaustus propemodum etiam ille, qui e veterum lexicographorum et scholiastarum doctrina profluebat. Vix locus reperiri posse videtur, qui non sub acerrimum judicium a viris doctissimis vocatus sit. Quid igitur nobis, qui hac aetate quasi epigoni quidam operam ad poëtam illustrissimum conferimus, relictum est nisi minutiae, quae multis fortasse vel nullius vel non magni pretii esse videbuntur? Qua de re equidem contra judico. Nam ne has quidem spernendas esse censeo, si aliquid ad pristinum nitorem praeclarissimis carminibus restituendum conferunt. Itaque cum per amplius tres annos numquam Sophoclis fabulis pertractandis et emendandis operam quam maximam navare destiterim, nunc fructus aliquot passim decerptos in medio proponere decrevi.

De corruptelarum generibus, in quibus distinguendis et definiendis critici multi esse solent, plerumque tacere decrevi, cum non multum eo profici putem. Contra de locis exanimandis et aliorum conjecturis interpretationibusque judicandis copiosius disputandum esse duxi, quod me cum venia virorum doctorum facturum esse spero.

Pauca admodum, quae jam ab aliis inventa esse vidi, denuo commendabo, si res nondum ita pertractata videbatur, ut confecta dici posset. Unam tamen alteramve conjecturam, quam his demum diebus, cum haec disputatiuncula absoluta esset, ab aliis occupatam esse e Electrae

Jahnianae editione secunda comperi, quasi res sit integra, tractare liceat. Hoc autem mihi his locis accidit: El. vs. 199 (Hamacherus) vs. 571 (Weckleinius). Hoc tamen lectores monitos esse velim, partem tantum eorum, quae philosophicae, quae dicitur, facultati proposui, nunc me in lucem prolaturum esse, cum haud paucae conjecturae ab arbitris repudiatae sint, quarum nonnullas Fleckeisenius in annalibus suis cum viris doctis se communicaturum esse mihi pollicitus est. Sed jam ad ipsam rem nos accingamus. Ac primum quidem tales locos tractabimus, in quibus sententiarum nexus turbatus est. Sunt autem ex eo genere nonnulla, quae etiam nunc occulta jaceant, quorum in numero habeo

Oed. Col. vss. 753—757.

ἄρ' ἄθλιον τοὔνειδος, ὢ τάλας ἐγώ,
ὠνείδισ' εἰς σὲ κἀμὲ καὶ τὸ πᾶν γένος;
ἀλλ' οὐ γὰρ ἔστιν τἀμφανῆ κρύπτειν, σύ νυν
πρὸς θεῶν πατρῴων, Οἰδίπους, πεισθεὶς ἐμοὶ
κρύψον, θελήσας ἄστυ καὶ δόμους μολεῖν.

In his verbis sententiam mire claudicare primus Nauckius perspexit. Hoc enim ratiocinandi genus: qunoniam ea, quae aperte sunt, occultari nequeunt, tu ea occulta, omni rationi repugnat.

Quod quamquam apertissimum est, tamen Meinekius in appendice critico a. h. l. verba defendit sic explicans: „quamdiu dedecora tua in publica luce versantur, occultare non licet, quare redi in paternam domum, ut in obscuro delitescant.“ Sed longe a veritate aberravit vir doctissimus. Detractis enim verbis superfluis illa interpretatio haec est: Quoniam dedecora tua, dum aperta sunt, occultari nequeunt, tu ea occulta, redeundo in patriam. Jam quaeritur, quo sensu prius illud *κρύπτειν* intelligendum sit. Apparet autem illud ab altero *κρύψον* differre non posse, utrumque igitur idem esse atque *καλύπτειν*, *'αμφικαλύπτειν* (operire). Sententia ergo ex judicio Meinekii haec est: quoniam dedecora tua, dum in luce sunt, operiri nequeunt, tu ea operi.

Sed primum mira est sententia: dum in aperto dedecora tua sunt, operiri nequeunt, quod idem est atque hoc: Dum dedecora tua non operta sunt, operiri nequeunt. Quando igitur occultari possunt? An si dedecora illa non in publica luce versantur? At tum profecto ea jam occulta esse necesse est. Ergo omnino nunquam occultari possunt. Praeclaram sane et Sophocle dignissimam sententiam sic habemus! Omnino autem illa vocis *τἀμφανῆ* explicatio „dedecora tua, dum in publica luce versantur", prorsus arbitraria est. *τἀμφανῆ* enim nihil aliud esse potest quam res apertae, sive quaecunque aperta sunt. Negat ergo Creon ea, quae in aperto sint, abscondi posse.

At si aperta abscondi nequeunt, quid tum, quaeso, abscondi potest? An ea, quae non aperta, quae occulta sunt? Nihil ergo omnino abscondi potest. Nam aperta occultari non posse Sophocles, homo dignus, cui fidem habeamus, affirmat, occulta autem is tantum occultabit, qui interdiu nihil nisi lucerna incensa cernere sibi videtur. Sed quis nescit, permulta, quae nunc in publica luce versantur, mox occultari posse? Ergo Sophoclem errasse credemus? Sed quo pacto tum paucis versibus post Creon Oedipum occultare aperta, quae modo occultari posse negavit, jubere potest? Perversissima igitur est sententia, quae et vitae usui repugnat et ab ipso poeta exploditur.

Meinekius nimirum ceterique, ut opinor, interpretes prius illud *κρύπτειν* alio quam alterum *κρύψον,* sensu, celandi scilicet, dictum acceperunt, ut haec sententia evadat: quoniam aperta occultari (celari) nequeunt, tu ea occulta, h. e. effice, ut non amplius aperta sint, ut tandem in obscuro delitescant. Sed ut jam supra monui, Sophocles in hoc sententiarum nexu: quoniam aperta occultari nequeunt, tu ea occulta eandem vocem non diverso sensu et ita quidem usurpare potuit, ut lectores in errores gravissimos incidere necesse sit, neque, si *τἀμφανῆ* aperta universe intelligenda sunt, ut supra demonstravi, Oedipus haec occultare juberi potest, sed tantum sua flagitia. Ergo dicendum certe erat: quoniam aperta occultari nequeunt, tu f l a g i t i a t u a absconde.

Triplici igitur vitio sententia illa laborat, quod tamen prompta medela amoveri posse puto. Nam *κρύψον* manifesto propter praecedens *κρύπτειν* a librario illatum est. Genuinam autem scripturam esse puto:

στέρξον (füge dich).

Nihil praeterea mutandum esse judico nisi interpunctionem. Nam sententiae cursus nunc quoque claudicat: *κρύπτειν* enim hic esse non posse *ἀφανίζειν* supra demonstravi. Si autem de celandis rebus interpretamur: quoniam ea, quae aperta sunt, celari nequeunt, tum habemus sententiam per se bonam, sed talem, quae ad Oedipi animum percellendum ne minimum quidem valere possit: Sed quoniam aperta celari non possunt, morem nobis gere et domum redi. Quid multa? Planissima omnia sunt si post *κρύπτεῖν* plena interpunctione posita sententiam ad praecedentia adnectimus. Creon conficto maerore se ipse castigaverat, quod tam turpia in Oedipum et se et totam gentem expromsisset. Haec convicia excusans, at enim, inquit, quae aperta sunt, ea celari nequeunt — ergo ne mihi quidem nefas duci potest, quod de iis aperte loquar.

Illa enim formula: *ἀλλ' οὐ γὰρ* non minus frequenter ad sequentia quam ad praecedentia adnectit sententiam, cujus usus unum exemplum opponere satis erit. Trach. vs. 552 Deianira ab increpando Hercule his verbis se avocat:

ἀλλ' οὐ γὰρ ὥσπερ εἶπον, ὀργαίνειν καλὸν γυναῖκα νοῦν ἔχουσαν,

quo dicto ad novam rem transit:

ᾗ δ' ἔχω, φίλαι
λυτήριον λύπημα, τῇδ' ὑμῖν φράσω.

Noster igitur locus sic costituendus est:

ἆρ' ἄθλιον τοὔνειδος, ὦ τάλας ἐγώ,
ὠνείδισ' εἰς σὲ κἀμὲ καὶ τὸ πᾶν γένος;
ἀλλ' οὐ γὰρ ἔστιν τἀμφανῆ κρύπτειν· σύ νυν
πρὸς θεῶν πατρῴων, Οἰδίπους, πεισθεὶς ἐμοὶ
στέρξον, θελήσας ἄστυ καὶ δόμους μολεῖν κ. τ. λ.

Phil. vss. 667 — 673.

θάρσει, παρέσται ταῦτά σοι καὶ θιγγάνειν
καὶ δόντι δοῦναι κἀξεπεύξασθαι βροτῶν

ἀρετῆς ἕκατι τῶνδ' ἐπιψαῦσαι μόνον·
εὐεργετῶν γὰρ καὐτὸς αὔτ' ἐκτησάμην·
οὐκ ἄχθομαί σ' ἰδών τε καὶ λαβὼν φίλον·
ὅστις γὰρ εὖ δρᾶν εὖ παθὼν ἐπίσταται,
παντὸς γένοιτ' ἂν κτήματος κρείσσων φίλος·

En locum, in quo vel explicando vel emendando viri doctissimi laboraverunt, quae omnia vix referre, nedum examinare possum. Equidem ad sententiarum nexum justum restituendum pro *οὐκ ἄχθομαι* scribendum puto *οὐδ' ἄχθομαι,* a praecedentibus et sequentibus commate disjunctum, deinde *οὐ παθὼν* ex Doederleinii certa conjectura et *στόματι δοῦναι* de Musgravii sententia, denique verba *εὐεργετῶν — ἐκτησάμην* virgulis includenda esse.

Jam nihil relictum esse spero, quod offendere possit. *οὐδ ἄχθομαι* enim ad praecedentia relatum idem fere est quod *οὐδὲ φθονῶ,* nempe te unum mortalium gloriari, quod arcum sanctum manibus tenueris. Qua enim reverentia ac religione arcum paene divinum colebat, id, quod hic Neoptolemo concedebat propter eximia de se merita, imprimis illud *ἐξεπεύξασθαι* ceteris hominibus invidisse putandus est. Conf. Seyff. a. h. l. Neque minus sequentia ad utriusque condicionem quadrant. Nam amicitiam cum Neoptolemo initam Philoctetes plurimi aestimare debebat eo nomine, quod ille bene ei fecerat, quamvis nihil boni ante accepisset.

Phil. vss. 961 seq.

ὄλοιο — μήπω, πρὶν μάθοιμ' εἰ καὶ πάλιν
γνώμην μετοίσεις· εἰ δὲ μή, θάνοις κακῶς.

Καὶ falsum esse jam pridem animadversum est. cf. Cavallin a. h. l. Rectum esset, si non *πάλιν γνώμην μετοίσεις* sequeretur, sed tale quid: *εἰ (καὶ) καρτερήσεις ἐν τῇ γνώμῃ.* Sed num conjecturis a critices propositis (*μάθοιμί σ' εἰ πάλιν* et similia temptata sunt), omnis offensio tollatur, vehementer dubito.

Nam si Philoctetes dicit: non prius perniciem tibi imprecabor, quam videro, idem fere est ac si dicat: perniciem tum demum tibi imprecabor, cum videro. Jam li-

quet, sequi non posse: num consilium non mutaturus, sed in mente tua perstaturus sis Nam ubi illud acciderit, quod verbis εἰ πάλιν γνώμην μετοίσεις inest, non jam execrationem dictam esse Philoctetes vult.

Necessario igitur negative illa sententia εἰ πάλιν γνώμην μετοίσεις efferenda erat, quod assequimur scribendo: εἰ μὴ πάλιν γνώμην μετοίσεις.

Neque sequens εἰ δὲ μὴ cuiquam qui Graecae linguae scientia vel mediocriter imbutus est, offensionem habere potest. Post *MEI MH* facillime excidere poterat, quo facto syllabae defectum librarii more suo correxerunt.

II.

Nunc videamus de iis locis, qui aliquid continent, quod cum veritate, sive ea, quae mente atque animo percipitur, sive ea, quae memoria confirmatur, pugnet.

El. vs. 913. seq.

ἀλλ' οὐδὲ μὲν δὴ μητρὸς οὔθ' ὁ νοῦς φιλεῖ
τοιαῦτα πράσσειν οὔτε δρῶσ' ἐλάνθανεν.

Hos duos versus ejiciendos esse duco. Sunt enim non modo supervacanei, sed etiam aliis gravibus suspicionibus obnoxii. Tribus ante versibus sibi tantum et Electrae illas libationes consentaneas esse dixerat:

τῷ γὰρ προσήκει πλήν γ' ἐμοῦ καὶ σοῦ τόδε.

Si ita se res habebat, quid attinebat dicere, tale quid a matre alienum esse, quod tam per se perspicuum erat, ut nemini in mentem venire posset?

Ipsa quoque versuum forma interpolatorem prodit, cum neque satis apte aut apto loco adnexi sint, neque ita eleganter dicta. Sophocles, credo, si tale quid dicere voluisset, statim post verba: τῷ γὰρ προσήκει πλήν γ' ἐμοῦ καὶ σοῦ τόδε; addidisset sic fere adnexus: οὐ γάρ. Ubi nunc collocatum est, orationem turbat. Nam post τῷ γὰρ προσήκει πλήν γ' ἐμοῦ καὶ σοῦ τόδε, quibus Clytaemnestra aperte excluditur, nec se nec Electram illud fecisse disserit. Ineptissimo igitur loco nunc rursus Chrysothemis a matre tale quid alienum esse dicit. Neque ἀλλὰ particu-

lam hic aptam esse senties, si totum locum perleges. Deinde subabsurdum est illud ὁ τῆς μητρὸς νοῦς φιλεῖ τοιαῦτα πράσσειν· mens (Gesinnung) matris non amat talia facere, nempe talia ἐπιτύμβια in sepulcrum occisi. Agamemnonis ferre. Neque οὐ φιλεῖ aptum est; sive vertis „sie liebt es nicht", sive „sie pflegt nicht".

Accedit alia atque ea gravissima offensio, quae in ipsa re posita est. His enim verbis Chrysothemim cavere apparet ne quis de matre tamquam illarum libationum auctore cogitet. Sed quo pacto talem suspicionem omnino concipi posse putat, cum ipsa a matre ad sepulcrum missa sit, ut id faciat, quod nunc tantum propter mentem matris et quod tum eam conspici necesse fuerit, illam facere non potuisse dicit? Qua igitur causa et quo tempore matrem ipsam illas libationes occiso marito offerre potuisse credit? Si ipsa mater obtulisset, tunc profecto non Chrysothemim misisset Hujus nimirum interpolator oblivisci poterat, Chrysothemim aut poetam ipsum potuisse nego.

III.

Quam multa e fabulis Sophocleis jure ejecta sint, quia langueant, notum omnibus est Nonnunquam tamen leni mutatione sententia ita expoliri potest, ut nulla justa suspicionis causa restet.

Oed Col vss. 583 seq.

τὰ λοίσθι' αἰτεῖ τοῦ βίου· τὰ δ'ἐν μέσῳ
ἢ λῆστιν ἴσχεις ἢ δι' οὐδενὸς ποιεῖ.

Verum est et perspicuum, aut oblivisci Oedipum aut nihili facere ea, quae usque ad mortem intercedant, quippe qui nihil nisi extrema petat. Sed ob hanc ipsam causam, quia sententia per se perspicua est, eadem satis frigida est. Nam neque reprehensio neque admiratio, quae tam conveniens naturae humanae foret, adsignificatur, sed Theseus nude asseverat, sic se rem habere. Multo tolerabilior fieret sententia, si ὡς ἔοικεν vel tale quid additum esset. Illi tamen offensioni facillima ratione subveniri potest, interpunctione et accentu in hunc modum correcto:

τὰ δ' ἐν μέσῳ
ἢ λῆστιν ἴσχεις; ἢ δι' οὐδενὸς ποιεῖ;

Sequens γὰρ ad verba: τὰ λοίσθι' αἰτεῖ τοῦ βίου assumpta ex sequentibus notione contemptionis ceterarum rerum pertinet. Conf. Phil. vss. 1279 seqq., ubi γὰρ tantummodo ad verba εἰ δὲ μή τι πρὸς καιρὸν λέγω referri possunt. Similiter El. vss. 312 verba ἦ κάρτα ad alteram modo quaestionis duplicatae partem spectant. ἢ saepe postponitur, velut in hac ipsa fabula vs. 26:

ἀλλ' ὅστις ὁ τόπος ἢ μάθω μολοῦσά ποι;

cujus rei causa perspicua est. De ἢ — ἢ vide O. R. 993:

ἦ ῥητόν; ἢ οὐ θεμιστὸν ἄλλον εἰδέναι;

Phil. vss. 942—946.

προσθείς τε χεῖρα δεξιάν, τὰ τόξα μου
ἱερὰ λαβὼν τοῦ Ζηνὸς Ἡρακλέους ἔχει
καὶ τοῖσιν Ἀργείοισιν φήνασθαι θέλει.
ὡς ἄνδρ' ἑλών μ' ἰσχυρὸν ἐκ βίας μ' ἄγει,
κοὐκ οἶδ' ἐναίρων νεκρὸν ἢ καπνοῦ σκιάν.

Ut nunc hi vss. scripti sunt, verba: καὶ τοῖσιν Ἀργείοισιν φήνασθαι θέλει, cum φήνασθει et propter sensum et constantem linguae usum absolute dictum esse nequeat, arcte cum praecedentibus conectenda sunt, ut ad φήνασθαι τόξα supplemendum sit, quod num aptum habeat sensum vehementer dubito: sanctum Herculis arcum habet et Argivis ostendere vult.

Sane arcum Argivis etiam demonstraturus est. Sed quid in ea re acerbum inest, ut Philoctetes hic, ubi tota oratio plena doloris, moestitiae, indignationis est, hoc potissimum commemoret? An Argivi arcum non jam in primo itinere viderant? Hoc sensit Nauckius, cum ad φήνασθαι ἐμὲ καὶ τὰ τόξα subcogitandum esse dicat, in qua opinione tamen manifesto erravit, cum unde illud ἐμὲ sumendum sit ipse indicare non potuerit. Hoc tamen apertum est illud καὶ τοῖσιν Ἀργείοισιν φήνασθαι θέλει multo aptius ad Philoctetam captivum Trojam rapiendum ibique Argivis ostentandum quadrare.

Accedit, quod etiam verba: κοὐκ οἶδ' ἐναίρων νεκρόν

ut illa vanae ostentationis Philoctetae praecesserit commemoratio flagitant. Tertium est, quod nunc medium *φήνασθαι (φήνασθαι τὰ τόξα)* vix explicari potest, cum *φαίνειν* transitivo sensu semper activi forma usurpatum sit.

Itaque sic locum refingendum esse existimo:

προσθείς τε χεῖρα δεξιάν, τὰ τόξα μου
ἱερὰ λαβὼν τοῦ Ζηνὸς Ἡρακλέους ἔχει·
καὶ τοῖσιν Ἀργείοισιν φήνασθαι θέλει
ὡρ ἄνδρ' ἑλὼν μ' ἰσχυρὸν ἐκ βίας τ' ἄγων,
κοὐκ οἶδ' ἐναίρων νεκρὸν ἢ καπνοῦ σκιάν,
εἴδωλον ἄλλως·

qua emendatione omnes illas offensiones remotas esse duco. De *φαίνεσθαι* cum participio conjuncto conf. vs. 164 *σὺ τοῖς ἐμοῖς ὅπλοισι κοσμηθεὶς ἐν Ἀργείοις φανεῖ;* et alia exempla apud Ellendtium. —

IV.

Nonnunquam corruptelae eo coarguuntur, quod verba a personae mente aliena esse patet.

Oed. R. vss. 895 sq.

εἰ γὰρ αἱ τοιαίδε πράξεις τίμιαι,
τί δεῖ με χορεύειν;

Nauckio de veritate hujus scripturae dubitanti assentior, quamquam non omnes profert suspicionis causas, quas poterat. Miror autem, eum e codicis optimi scriptura *χορεύειν πονεῖν ἢ τοῖς θεοῖς* recte collegisse diversam in his verbis latere scripturam, et tamen in miram hariolationem incidisse. Quis enim ex illis hanc novam a Nauckio excogitatam scripturam *ποῖ δεῖ μ' ἔτι λεύσσειν* elici posse credet?

Duae igitur lectiones agnoscendae sunt, *τί δεῖ με χορεύειν* et *τί δεῖ με πονεῖν θεοῖς,* de quibus quid statuendum sit videamus. Jam si quaerimus, utra fide sit dignior, apparere puto, *χορεύειν* multo magis redolere glossatorem quam alterum *πονεῖν θέοις*. Voce enim *χορεύειν* explicare aliquis potuit *πονεῖν θεοῖς*, sed non hoc *πονεῖν θεοῖς* il-

lud *χορεύειν*. Sed habet vulgata lectio, quo nos per se spectata offendere debeat.

Atque Wolffius quidem interpretatione perobscura *χορεύειν* de festis diebus in deorum honorem celebrandis explicat. Sed *χορεύειν* non est festos dies celebrare, sed saltare. Chorus igitur minatur se non amplius in deorum honorem saltaturum esse. Quid? Senes constantes ac graves festis diebus ipsos in choris saltare solitos esse putabimus? Neque enim sufficit ad lectionem defendendam, si quis hoc aliquando factum esse demonstret. Nam ejus modi est locus, ut senes illas saltationes tamquam morem solemnem atque usitatum commemorent. Hoc vero fieri solitum esse nusquam legi et per se parum credibile est. Deinde mira est haec chori mina. Nam cum chorum regis uxorisque impietatem aegre ferentem, si haec diis laudabilis videatur, de deorum justitia et honestate desperare appareat, nonne eum omnem deorum cultum omnemque religionem esse detrectaturum exspectamus? Nonne igitur ridiculum est, quod tam vehementer commotus, quasi atrox aliquid prolaturus exorsus, se non amplius saltaturum esse minatur, quod omnino eum diis praestitisse parum verisimile est?

Neque minoribus difficultatibus obstricti sumus, si *χορεύειν* de saltationibus quibuslibet interpretamur. Recte enim Nauckius hanc deorum iniquitatem, qua et boni et mali eodem loco habeantur, efficere non posse dicit, ut saltare chorum taedeat. Deinde nihil aliud chorum tunc dicere apparet, quam hoc, se de omni gaudio omnibusque hujus vitae deliciis desperare. Nonne igitur hoc quoque ridiculum est, quod chorus e senibus constans saltationes commemorat, cum vitam tristem et omnibus deliciis orbatam describere velit? Tertium est, quod propter sententiarum nexum haec ratio ferri nequit Nam sequentibus verbis de detractando deorum cultu chorus loquitur. Tale quid igitur etiam verbis *τί δεῖ με χορεύειν* contineatur necesse est.

Utcunque igitur vulgatam lectionem interpretaberis, summis semper difficultatibus obstrictus haerebis. Quaerendum igitur est, num altera lectio *τί δεῖ με πονεῖν θεοῖς*

aptius sit. *πονεῖν* cum dativo saepe usurpatum est sensu in utilitatem alicujus laborandi. Nostrum *πονεῖν θεοῖς* igitur est: im Dienste der Götter sich abmühen, quo sensu eandem formulam, ni memoria fallor, apud Euripidem legi. Sed etiam sine exemplo nemo negabit, *πονεῖν θεοῖς* apte dictum esse. Quid attinet, inquit chorus, deorum gratiam laborioso studio sibi conciliare, si dii impium et pium nullo discrimine facto eodem loco habent? Nunquam ego praeclara deorum oracula adibo, si haec non omnibus hominibus digito quasi monstrata evenient. Sic demum sententiam et Sophocle dignam et ad chori mentem aptam habemus.

El. vs. 571.

κἀκ τοῦδε μηνίσασα Λητῴα κόρη
κατεῖχ' Ἀχαίους, ὡς πατὴρ ἀντίσταθμον
τοῦ θηρὸς ἐκθύσειε τὴν αὑτοῦ κόρην.

Nemo adhuc offendit in particula *ὡς·* At insulsi nescio quid habet haec loquendi forma: cohibebat dea ventos, ut pater filiam suam mactaret. Sic enim venti a dea cohibiti esse eo consilio dicuntur, ut caedem Iphigeniae impetraret. Quod etsi ad illam immanitatem, quae illi deae nonnunquam tribuitur, referendum esse videri possit, tamen huic rationi totius loci nexus repugnat. Nam cum usque eo demonstrare voluerit. Electra, qua Agamemnonis culpa incensa dea hoc piaculum postulaverit, sic duae rationes dissimiles confunderentur, si extemplo immanitas deae culparetur. Apertum igitur est non *ὡς* sed *ἕως,* quod per synicesin legendum sit, requiri. Hoc *ἕως*, quod Sophocli pluribus locis restitutum est, ubique in *ὡς* abiit, ut adeo mirum foret, si hoc uno loco genuina scriptura servata esset. Vix igitur *ἕως* scribendo verba mutamus, sed tantum pravam scripturam corrigimus. Quapropter in constituendo contextu eandem nobis hic libertatem sumere possumus, qua uti solemus, si duas scripturas habemus pari auctoritate confirmatas. Illud autem *ἕως* ad sensum esse longe accommodatius supra demonstravimus, ut, utrum sit praeferendum, dubium esse nequeat.

ἕως restituto simul hoc consequimur, ut Agamemnoni imposita necessitas multo luculentius appareat, si non prius Graecis solvendi potestatem factam esse scimus, quam Iphigeniam mactarent.

Aj. v. 1020.

τοιαῦτ' ἀνὴρ δύσοργος, ἐν γήρᾳ βαρύς,
ἐρεῖ, πρὸς οὐδὲν εἰς ἔριν θυμούμενος.
τέλος δ' ἀπωστὸς γῆς ἀπορριφθήσομαι,
δοῦλος λόγοισιν ἀντ' ἐλευθέρου φανείς.

Esse etiam nunc, qui tale quid Sophoclem scribere potuisse credant, paene prodigii simile est. Verba enim illa nihil aliud dicunt quam hoc, Teucrum metuere, ne a patre e patria ejiciatur, servus appellatus, qui metus et per se spectatus ridiculus est et sententiarum nexu etiam magis ridendus evadit.

Praeterea sic ἀντ' ἐλευθέρου inutile additamentum est: Quamquam enim tragicos poetas tales oppositiones amasse constat, tamen non ubivis pariter apte iis uti poterant. Nam ut in illo Alexidis fragmento: δοῦλοι ζῶμεν ἀντ' ἐλευθέρων, hoc ἀντ' ἐλευθέρων eum statum significat, in quo ante fuerant vel quem suo jure sibi vindicare se posse credebant, sic omnino id tantum tali oppositione addi potest, quod aut ante re vera fuerat aut certe fieri exspectari potest. Nostro vero loco ἀντ' ἐλευθέρου prorsus inutile est, quod senties, si sic locum dissolvas; πρόσθε μὲν ἐλεύθερος λόγοις ἐφάνη, νῦν δὲ δοῦλος φανήσομαι. Nam illud fieri solitum esse nego, ut liber nominatim appellaretur. Deinde λόγοις φανείς haut apte dictum est pro ὀνειδισθείς. φαίνειν enim habet vim coarguendi, aperiendi, quo sensu apte hic diceretur, si λόγοις deesset. Eaedem offensiones etiam in eam explicationem cadunt, si quis hominum sermones illos λόγους intelligere velit, quae tamen interpretatio ipso sententiae conexu refutatur, cum hic de iis injuriis, quas sibi a patre illatum iri credit, sermo sit.

Petendam igitur esse e conjetura medelam certum est. Displicent tamen quae adhuc proposita sunt, primum illud Seifferti γονεῦσι, quod languet. Neque enim apparet, cur

parentibus potissimum servum se praestiterit (*φανείς* nunc est deprehensus, erwiesen). Nec satis facit, quod Nauckius excogitavit *τρόποισι*, cum hoc, quia moribus me servum praestiti, non satis grave sit, nedum in Teucro, qui servus erat quodammodo etiam origine, utpote e serva natus (conf. vss. 1259—1261 : *οὐ μαθὼν ὃς εἶ φύσιν ἄλλον τιν' ἄξεις ἄνδρα δεῦρ' ἐλεύθερον;*) Non igitur hoc eum dicere oportet: ejiciar e patria, quod indole servili me praestiti, sed hoc : quod me praestiti servum, scil. totum et natu et indole.

Itaque traditam scripturam *δοῦλος λόγοισι* ortam esse puto ex hac: *ἔργοισι δοῦλος,* postquam vocabula *δοῦλος* et *ἔργοισι* sedem mutaverunt.

V.

Saepe ipsa loquendi forma aliquid vitii verbis inesse demonstrat. Nam si enuntiatum aliquod legitimam respondendi formam habet et tamen interrogatio non praecessit, vel si ratio ea, quae in responsionibus valere solet, sine causa violata est, jure locum de corruptela suspectum habere et possumus et debemus. Alia id genus corruptelarum indicia nunc, quia ad singulos locos exponenda erunt, praetermitto.

Aj. vss. 870. seqq.

ἰδοὺ ἰδού,
δοῦπον αὖ κλύω τινά.
ΗΜΙΧΟΡΙΟΝ Β
ἡμῶν γε ναὸς κοινόπλουν ὁμιλίαν·

Wolffius acute perspexit, vs. 872 eam prae se ferre formam, ut responderi ad interrogationem videatur. Quam ob rem accentu mutato *δοῦπον αὖ κλύω· τίνα;* scribi jubet. At quis hanc interrogationis formam haud elegantem esse negabit? (Ich hoere wieder ein Gespräch, welches?) Illam igitur interpunctionem, quae post *κλύω* interposita est, claudicantem efficere orationem apparet. Sed animum non attendit vir sagacissimus in particulam *αὖ,* quae quo referenda sit, neque ego scio neque editorum quisquam indicavit. Est enim aut iterum audio, aut rursus (hingegen)

audio Utrumque hic pariter ineptum esse nemo non sentiet, qui totius loci conexum consideraverit. Quapropter quin pro *αὖ οὐ*, signo interrogandi in fine versus posito restituendum sit, nullus dubito. *αὖ* et *οὐ* nonnunquam inter se permutata sunt, ut etiam Oe. R 430 Wolffius recte *οὐκ εἰς ὄλεθρον; οὐχὶ θᾶσσον αὖ πάλιν ἄψορρος οἴκων τῶνδ' ἀποστραφεὶς ἄπει* pro *οὐκ εἰς ὄλεθρον; οὐχὶ θᾶσσον; οὐ πάλιν κ. τ. ε.* conjicere videtur. Oed. C. 587 editiones sic locum scriptum exhibent:

ὅρα γε μήν· οὐ σμικρὸς οὖν ἀγὼν ὅδε,

in quo *οὖν* ineptum esse puto. Itaque cum L. A. *οὐκ* habuisse videatur, non temerarium videbitur, si illo *οὐκ* nisi aptiorem lectionem eruere studebimus. Itaque sic locum emendandum esse censeo:

ὅρα γε μὴν σύ, σμικρὸς οὐκ ἄγων ὅδε.

Phil. vss. 639—642.

οὐκοῦν ἐπειδὰν πνεῦμα τοὐκ πρῴρας ἀνῇ,
τότε στελοῦμεν; νῦν γὰρ ἀντιοστατεῖ.
ΦΙΛΟΚΤΗΤΗΣ
ἀεὶ καλὸς πλοῦς ἔσθ' ὅταν φεύγῃς κακά.
ΝΕΟΠΤΟΛΕΜΟΣ
οὐκ· ἀλλὰ κἀκείνοισι ταῦτ' ἐναντία.

Pro *ταῦτ' ἐναντία* accentu mutato *ταὔτ' ἐναντία* scribendum esse puto. Primum enim, cum praecedant haec verba: *ἀεὶ καλὸς πλοῦς ἔσθ' ὅταν φεύγῃς κακά, ταῦτα* in sequenti versu vix aliorsum referri potest, quam ad *κακὰ*, quod omni sensu caret. Perspicuum enim est, illa *κακά* esse injurias, quae ab Argivis utrique metuendae sint, haec autem non Argivis ipsis obstare posse. Sed apertum est, illa, quae et Argivis et sibi pariter adversari Neoptolemus dicit, ventum esse adversum. Quod si *ταῦτα* ad vs. 640 refertur, hoc molestissimum est, quod Philoctetes difficultate illa *νῦν γὰρ ἀντιοστατεῖ πνεῦμα* vel omissa vel concessa longe aliam sententiam: semper commodam esse navigationem si mala effugerentur, interposuerat, ita ut Neoptolemus non jam sua verba *νῦν γὰρ ἀντιοστατεῖ* sic spectare posset, ut Philoctetae responsionem contemneret.

Hae offensiones tolluntur, si *ταὔτ' ἐναντία* scribimus: At illis quoque eadem obstant. Pro *οὐκ ἀλλὰ*, quod absurdum esse constat *ἀλλ' οὐχί* restituendum esse existimo, quod jam O. Heinius conjecit. De ceteris conjecturis vide Cavallinum, qui ipse de Meinekii sententia *οὐκ ἆρα* scribit, quod falsum est, sive *ἆρα* „ergo" interpretaris, sive pro particula interrogativa habes.

Phil. vs. 453.

ἐγὼ μέν, ὦ γένεθλον Οἰταίου πατρός,
τὸ λοιπὸν ἤδη τηλόθεν τό τ' Ἴλιον
καὶ τοὺς Ἀτρείδας εἰςορᾶν φυλάξομαι
ὅπου θ' ὁ χείρων τἀγαθοῦ μεῖζον σθένει
κἀποφθίνει τὰ χρηστὰ χὠ δειλὸς κρατεῖ,
τούτους ἐγὼ τοὺς ἄνδρας οὐ στέρξω ποτέ·

Sic LA versum 456 scriptum exhibet, supra litteram *θ* superscripto *γ*, quod Cavallinus retinuit, cum plerique editores *θ* vel *γ* in *δ* mutaverint. Si enim *ὅπου δέ* scribitur, sententiarum nexus incommodus est, cum nihil proferat Neoptolemus, quod praecedentibus opponi possit. Immo talis est sententiarum inter se ratio, ut non *δὲ* sed *γὰρ* requiratur, quippe etiam Troja talis est locus, ubi pessimus quisque optimis plus valeat, ob eamque ipsam causam a Neoptolemo reformidari fingitur. Si autem ex Cavallini sententia *γέ* retinemus, omnia recte se habent praeter vs. 458. Nam cum *ὅπου γε* nunc ad Trojam pertineat, ubi pessimus quisque plurimum possit, homines autem frugi nihili sint et pereant, jam misere claudicant, quae adduntur: *τούτους ἐγὼ τοὺς ἄνδρας οὐ στέρξω ποτέ.*

Librarii nimirum, ut saepe, sententiam explanare et amplificare sibi videbantur tali panno assuto. Spurium esse versum vel ex ipsis verbis satis elucet. Nam *τούτους τοὺς ἄνδρας* non habet, ad quod commode referri possit. Mirum est profecto hoc: ubi pessimi plurimi sunt, boni autem pereunt, eos homines nunquam diligam. Hoc enim „ubi boni pereunt" non ad homines ipsos sed ad civitates vel regiones, ut Trojana castra, illud *ὅπου* pertinere ostendit. Sententia omnino sic mire languet. Dicit enim

Neoptolemus, se istos viros numquam dilecturum esse, quasi non etiam despecturus et odio persecuturus sit Argivos.

El. vss. 197—200.

Ἔρος ἦν ὁ φράσας, δόλος ὁ κτείνας
δεινὰν δεινῶς προφυτεύσαντες
μορφάν, εἴτ' οὖν θεὸς εἴτε βροτῶν
ἦν ὁ ταῦτα πράσσων.

Suspecta mihi sunt verba προφυτεύσαντες μορφάν. Nam ut nunc verba se habent, sequentium commodam rationem non video. Sed audiamus interpretes.

Atque Schneidewinus quidem chorum putat Aegisthum et Clytaemnestram nominare non ausum esse. At cur illud eo modo evitat, ut vel deos facinoris foedi machinatores esse posse dicat? Cur nihil interesse hominesne fecerint an adeo dii dicit? Mire hoc dictum est, si ipsos auctores nominare veritus nihil nisi eosdem tecte perstringere vult. Sed noluit Schneidewinus exponere, cur tandem choro, ne illos nominet, cavendum sit, et, ni fallor, omnino non potuit. Si enim chorus vs. 124 Agamemnonem ἀθεώτατα et κακᾷ χειρὶ πρόδοτον occisam dicit, si Clytaemnestram paene nominatim δολερὰν ματέρα appellat, si deinde ei, qui haec machinatus sit, adeo perniciem imprecari audet, nonne vehementer mirandum est, quod nunc ne talem quidem sententiam paene modestam palam profiteri audet? Mira denique foret chori sagacitas, si sic poenam effugere se posse crederet, si tantum de nominibus taceret.

Nauckius vero, illa explicatione repudiata, dicit, illud facinus choro tam nefarium visum esse, ut dubitaret, utrum homo solus patrare potuerit, an non potius dei alicujus vis ac potestas in eo agnoscenda esset. Huic tamen interpretationi totius sententiae forma vehementer refragatur. Nam εἴτε — εἴτε nihil differe indicat, utrum hoc an illud verum sit, cum ex sententia Nauckii chori multum referre debuerit utrum verum sit.

In eadem difficultate etiam Wexium haesisse video, qui de nostro loco haec disserit: Sed quid tum (si μορφή

est species foeda regis mactati) est *εἴτ' οὖν θεὸς εἴτε βροτῶν ἦν ὁ ταῦτα πράσσων?* Nimirum, quis caedem patraverit, per se clarum est! Incredibilia tamen comminiscitur, cum *μορφήν* sceleris formam, i. e. cogitationem, ut ipse interpretatur, esse vult. Neque ea explicatione verborum difficultas tolleretur, etiamsi ferri posset.

Illo igitur *εἴτ' οὖν θεὸς εἴτε βροτῶν ἦν ὁ ταῦτα πράσσων* nihil sua referre dicit chorus, utrum homo an adeo deus facinus patraverit. Haec autem sententia sic tantum sensum habet, si talis sententia praecessit, ut etiam interesse potuerit. Atqui verba tradita ejusmodi sunt, ut nihil referre possit. Ergo aliquid in iis falsum esse necesse est. Itaque, ut in Euripideo loco Heracl. vss. 148 — 150 praeco jam eo desperationis Heraclidas pervenisse dicit, ut salutem et perniciem juxta aestiment (*εἴτ' οὖν εἴτε μὴ γενήσεται*, scilicet ut a Theseo serventur) sic nostro loco chorum eo indignationis progressum esse existimo, ut id, quod antea dixerat, nobili libertate indictum esse nolit, *εἴτ' οὖν θεὸς εἴτε βροτῶν ἦν ὁ ταῦτα πράσσων.* Jam vero liquet, chorum necesse esse enunciato praecedenti severum judicium de scelere illo fecisse, quod ne tum quidem indictum velit, si deus rem machinatus sit. Hanc vituperandi vim non voci *δεινῶς* inesse apparet. Nam hoc „schrecklich" non eam habet vim, ut ad id tale enunciatum referri possit. Itaque praecedentem sententiam ita emendandam esse apertum est, ut vituperandi notio summam totius enunciati vim contineat. Una autem litterula mutata talis sententia mihi videtur restitui posse. Suspicor enim pro *μορφάν* restituendum esse *μομφάν*, quae vox eadem corruptela Eur. Alc. vs. 1009 foedata est.

Dicit nunc chorus, quisquis illud facinus machinatus sit, sive deus, sive homo, eum gravissima reprehensione absolvi non posse. *προφυτεύω* autem hic non antea gignere esse puto, quae significatio inepta est, sive *μορφάν*, sive *μομφάν* scribis, sed praepositionem *πρὸ* eandem vim, quam in *προφαίνω* (patefacere) et latino procreare habere existimo.

*

Ant. vss. 1068 seqq.

ἀνθ᾽ ὧν ἔχεις μὲν τῶν ἄνω βαλὼν κάτω
ψυχήν τ᾽ ἀτίμως ἐν τάφῳ κατῴκισας,
ἔχεις δὲ τῶν κάτωθεν ἐνθάδ᾽ αὖ θεῶν
ἄμοιρον ἀκτέριστον ἀνόσιον νέκυν.

Sic versus scriptos codices habent. Dubitatum est a multis de scriptura versus secundi. Mihi quidem, quamquam quod traditum est, fortasse defendi potest, tamen concinnior videtur oratio, si *ψυχὴν ἀτίμως ἐν τάφῳ κατοικίσας* vel *ἀτίμως τ᾽ἐν τάφῳ κατοικίσας* scribatur. Anaphora enim *ἔχεις μὲν κάτω βαλών, ἔχεις δὲ ἐνθάδ᾽ αὖ* justo enunciato *ψυχήν τ᾽ἀτίμως ἐν τάφῳ κατῴκισας* turbatur. Magis tamen dubito de verbis quae sequuntur *ἔχεις δὲ τῶν κάτωθεν ἐνθάδ᾽ αὖ θεῶν ἄμοιρον ἀκτέριστον ἀνόσιον νέκυν.*

Ac primum quidem de forma totius sententiae videamus. Si tantum haec legeremus: *ἀνθ᾽ ὧν ἔχεις μὲν τῶν ἄνω βαλὼν κάτω* (scil. *τινά), ἔχεις δὲ τῶν κάτωθεν ἐνθάδ᾽ αὖ ἀκτέριστον, ἀνόσιον νέκυν,* quis non modo anaphoram *ἔχεις μὲν — ἔχεις δὲ*, sed etiam quaesitam oppositionem verborum *τῶν ἄνω — τῶν κάτωθεν, κάτω — ἐνθάδ᾽ αὖ*, ut utrumque membrum prorsus *ἐκ παραλλήλου* formatum esset, non statim agnosceret? Interpretes vero tantum non omnes, cum sic nudum *θεῶν ἄμοιρον* molestum videatur, hanc potius verborum constructionem esse volunt: *ἔχεις μὲν τῶν ἄνω βαλὼν κάτω, ἔχεις δὲ ἐνθάδε αὖ νέκυν τῶν κάτωθεν θεῶν ἄμοιρον, ἀκτέριστον, ἀνόσιον.* Hoc tamen paene aegre fero, qui sic loci eximia venustas pervertitur. Quis enim est quin illam *ἐκ παραλλήλου* formam hic aptissimam atque arte Sophoclis dignissimam esse videat, cum enunciatorum aequalitas duplicis sceleris aequalitati pulcherrime respondeat?

Deinde molestissimum est, quod sententia aliter verba nos conjungere jubet, atque orationis forma. Nam cum anaphora *ἔχεις μὲν — ἔχεις δὲ* mens ad illius constructionis aequalis exspectationem excitata sit, quin *ἔχεις δὲ τῶν κάτωθεν (τινά) ἐνθάδε αὖ* conjungamus facere non possumus et sequentibus demum verbis *θεῶν ἄμοιρον,* ut aliam verborum constructionem circumspiciamus cogimur.

Etiam collocatio verborum *ἔχεις τῶν κάτωθεν ἐνθάδε αὖ θεῶν ἄμοιρον* incommoda est. Nam cum *ἐνθάδε αὖ*, utpote oppositione ad *ἄνω* relatum, summam enunciati vim contineat, *κάτωθεν* et *θεῶν* haud venuste divelluntur. Deinde *τῶν κάτωθεν* eo loco positum est, ubi oppositionem ad praecedens *τῶν ἄνω* habere videatur, praesertim cum *ἐνθάδε αὖ*, quod manifestam oppositionem prae se fert, sequatur. Itaque hic ordo unus sensui consentaneus foret: *ἔχεις δὲ ἐνθάδε αὖ τῶν κάτωθεν θεῶν ἄμοιρον νέκυν.*

Nullo igitur modo haec explicatio ferri potest, ut illa Wexii, qui simpliciter sic verba construit *ἔχεις δὲ τῶν κάτωθεν ἐνθάδε αὖ* (detines autem rursus hic ex inferis unum) *θεῶν ἄμοιρον* (deorum immunem) *ἀκτέριστον κ. τ. λ.*, prae illa magnopere placeat. Incommodum tamen est nudum *θεῶν ἄμοιρον.* Nam deorum inferorum, non omnino deorum Polynices immunis dicendus erat Eo enim Polynices a ceteris mortuis defferebat, quod illi, cum superorum deorum expertes sint, tamen inferorum participes sunt, hic autem ne inferorum quidem particeps erat. Itaque ne hoc quidem dici potest, illud ex totius loci ratione posse concludi. Nam cum hoc ipsum gravissimum sit, quod ne deorum quidem inferorum particeps est, hoc poeta ipse dicere debebat, neque audientium vel legentium sagacitati ad divinandum permittere.

Denique etiam *θεῶν ἄμοιρον* suspectum mihi esse profiteor. Apponere juvat Schneidewini adnotationem: untheilhaftig der untern Götter, denen er angehört. At qui in ea condicione est, ut de eo dicere possim, er gehört mir an, is non mei particeps est, immo vero, ejus sum ego particeps (Graece: *τούτου ἐμοὶ μέτεστιν*, non *τούτῳ ἐμοῦ μέτεστιν).* Quodsi verum est, quod Schneidewinus dicit, denen er angehörte, ut sane verum est, cum contra rei naturam ac religionem foret dicere „die ihm angehörten“ — ex hac igitur explicatione apparet, deos mortuorum potius, quam mortuos deorum participes dicendos fuisse.

His rebus consideratis jam certum mihi videtur, in verbis aliquid esse vitiosum. Apparet autem, suspectum

maxime esse illud θεῶν ἄμοιρον. Nam cetera sunt aptissima:

ἀνθ' ὧν ἔχεις μὲν τῶν ἄνω κάτω βαλὼν
— ἔχεις δὲ τῶν κάτωθεν ἐνθάδ' αὖ, . . .
. . . . ἀκτέριστον, ἀνόσιον νέκυν.

(tenes autem rursus hic unum ex inferis insepultum, cadaver nefandum). Pro θεῶν igitur τάφων scribendum esse duco, quod neminem ad praecedentia adnectere posse ex iis liquebit, quae supra de verbis τῶν κάτωθεν θεῶν ἄμοιρον conjunctis exposuimus. τάφων ἄμοιρον autem aliquantum differt ab ἀκτέριστον. Illud enim sepulcrum, hoc solemnes caeremonias, libationes maxime (κτερίσματα) significat. His duobus additum est tertium ἀνόσιον νέκυν, quod illa una ἀνοσιότητος notione complectens appositionem quandam efficit (ohne Beerdigung, ohne Todtenweihen, einen unheiligen Leichnam). ἀνόσιον enim illud corpus est, quia et τάφῳ et κτερίσμασιν caret. Haec ratio aptissima per se est eoque magis mihi placet, quod ἀνόσιον per se acceptum, οὐ τῶν ὁσίων τυχόντα post θεῶν ἄμοιρον (h. e. sepulcri immunem) et ἀκτέριστον valde languebat. νέκυν autem non abundare sed paene necessarium esse patet, quia nudum ἀνόσιον non appositionem formare potest. ταφῆς ἄμοιρος dictum est Aj. 1326 ταφή et: τάφος plurali numero usurpantur Aj 1109, O. C. 411, O. R. 942.

Trach. vs. 866.

ἤχεῖ τις οὐκ ἄσημον, ἀλλὰ δυστυχῆ
κωκυτὸν εἴσω.

Opposita ἄσημος et δυστυχής jure Nauckium et Blaydesium male habent. Nam quae non ἄσημα sunt, ea non ideo δυστυχῆ, sed εὔσημα sunt. Sed cum illi δυστυχῆ in suspicionem vocent, mihi ἄσημον potius corruptum videtur. In promptu erat εὔσημον corrigere, quod et forma litterarum a codicum auctoritate proxime abest, et fausti ominis significatu explicatum sensum aptissimum praebet, modo persuadere mihi possem illam vim huic voci apud scriptores antiquiores tribui posse. Alias enim significat id, quod ad cognoscendum facile est, ominosi vocabuli vim

apud recentiores demum scriptores assumpsisse videtur. Nam hac praeditum *εὔσημος* praeter Eur. Iph. Aul vs. 252, qui ex interpolata illius fabulae parte est, tantum Ant. vs. 1021 legitur, ubi Nauckius e rasura duarum litterarum post *εὖ* dittographiam *ευαι* suspicatus inde genuinam scripturam *αἰσίμους* recte elicuisse videtur, quamquam *εὔσημος* hic etiam „facilis ad cognoscendum" esse posse jure nonnulli interpretes statuerunt. Quapropter non *εὔσημον* sed *εὔφημον* scribendum videtur, ut Aesch. Ag. 28 dictum est: *εὐφημῶν ὀλολυγμός* de singultu gaudio expresso.

Phil. vs. 342.

ὀρθῶς ἔλεξας· τοιγαροῦν τὸ σὸν φράσον
αὖθις πάλιν μοι πρᾶγμ' ὅτῳ σ' ἐνύβρισαν.

Ellendtius *ὅτῳ* ad *πρᾶγμα* refert: narra mihi r e m t u a m (Angelegenheit) q u a te contumeliose habuerunt, quod absurdum esse patet. Propter sensum igitur *ὅτῳ* per se accipiendum est: narra mihi rem tuam, quid contumeliosi tibi intulerint.

Hoc tamen per se molestum est et molestius etiam fit eo, quod Graeci *ὑβρίζειν* et *ἐφυβρίζειν τί (ὕβριν τινά)* quam *τινί* dicere maluisse videntur. Unum tantum exemplum inveni, in quo *ὑβρίζειν* cum dativo instrumentali conjunctum est: Aj. 560 *οὔτοι σ' Ἀχαιῶν, οἶδα, μήτις ὑβρίσῃ στυγναῖσι λώβαις.* Hic tamen dativus necessarius est, cum pronomina semper casu accusativo (interioris objecti) addantur.

Itaque pro *ὅτῳ ὅπως* restituendum esse duco. Correctio est lenissima, cum *Γ* et *Τ* innumerabilibus locis inter se permutata sint nec minus frequenter litterae semel tantum scriptae inveniantur, ubi bis scribi debuerint. Ceterum L. γ. *ὅπως ἐνύβρισαν* habet, quae scriptura unde orta sit, definire nolo.

VI.

Sequitur, ut de iis locis disseramus, in quibus singulis verbis aliquid ineptum inest.

Oed. Col. 92.

(ἔλεξέ με) κάμψειν τὸν ταλαίπωρον βίον,
κέρδη μὲν οἰκήσαντα τοῖς δεδεγμένοις,
ἄτην δὲ τοῖς πέμψασιν, οἵ μ' ἀπήλασαν·

Verissime Hermanus observavit, *οἰκήσαντα* mendosum esse. Meinekius certe frustra affirmat, *οἰκεῖν* abolita propemodum, certe attenuata habitandi notione saepe nonnisi verbi substantivi vim induere, cujus usus exemplum desidero. Neque pro *οἰκονομέω* activo sensu usquam usurpatum est. Triclinius *οἰκήσοντα* correxit, quod num de sepulcro semper Athenis remanente apte dictum sit, perdubium est. Haec jam Hermanus perspexit, minus tamen felix in conjectura facienda. Nam *οἰκίζειν* nusquam *μεταφορικῶς* usurpatum esse videtur. Contra Nauckianum illud *ἐμπολῶντα* a sensu quidem commendatur, sed propter mutationis audaciam parum probabile est. Quapropter ego *κέρδη μὲν οὖν κτίσαντα* scripserim. *κτίζειν* enim ut nostrum „stiften" universe de rebus inaugurandis et instituendis nonnunquam usurpatur, cf. *χαλινὸν κτίσαι* O C. 715 et Aesch. Suppl. 140 *τελευτὴν κτίζειν*.

Oed. R. vs. 532.

οὗτος σύ, πῶς δεῦρ' ἦλθες; ἦ τοσόνδ' ἔχεις
τόλμης πρόσωπον, ὥστε τὰς ἐμὰς στέγας
ἵκου;

Particulam *ἦ*, ex apographis a plerisque editoribus insertam, hic absonam esse puto. Quamquam enim vis ejus saepe ea est, ut cum vi atque admiratione quadam interrogationem efferat, tamen semper veram exhibet interrogationem, ad quam responsio exspectatur. Hic vero talis quaestio: num tam impudens es, ut ad aedes meas accedere audeas, fatua foret. Nam neque hoc Oedipo dubium esse poterat, num adesset Creon, neque, num tantam impudentiam haberet, ut veniret. Aderat enim Creon. Ergo etiam tantam impudentiam ei esse, ut accedere auderet, rex sciebat vel, quod eodem redit, scire sibi videbatur. Certum igitur est, *ἦ* librariorum interpolationi deberi. Nobis autem hoc agendum erit, ut conjectura, quae et fa-

cilior sit (ἢ enim quomodo excidere potuerit, cerni nequit) et sententiae satisfaciat, lacunam expleamus.

Utrumque Nauckius assecutus est conjectura probabili δεῦρ' ἤλυθες; τοσόνδ' ἔχεις κ. τ. λ. At ne viro doctissimo obsequar, offensione, quae in conjunctis τοσόνδε et πρόσωπον est, prohibeor. τόλμης πρόσωπον omnes interpretes recte explicant „τολμηρὸν πρόσωπον. Hoc autem quo pacto τοσόνδε dici potest? Omnes hae difficultates tolluntar, si pro ἢ εἰς scribimus. Nimirum ΕΙΣ vel ΕΣ post ΕΣ excidit, quo vitiorum genere nihil frequentius est. ἐς τοσόνδε denique est nostrum „in dem Grade", ut Aj. vs. 679 ἐς τοσόνδε ἐχθαρτέος legitur.

El. vs. 575.

ἀνθ' ὧν, βιασθεὶς πολλὰ κἀντιβάς, μόλις
ἔθυσεν αὐτήν, οὐχὶ Μενέλεω χάριν.

Nauckium jure in conjunctis βιασθεὶς πολλά offendisse judico. Hoc enim est aut: „oft gezwungen", quod falsum est, quoniam semel tantum re vera coactus est, aut: „oft genöthigt", quod tam infirmum est, ut jure Clytaemnestra respondere potuerit, tum Agamemnonem sine necessitate filiam mactavisse. Hoc posterius etiam in Nauckii conjecturam alioquin elegantem λιασθείς cadit. Facilior autem et aptior mihi videtur ea, quae mihi in mentem venit: βιασθεὶς πολλά τ' ἀντιβάς. Recte nunc πολλὰ conjunctum est cum ἀντιβάς Nam cum ad βιασθείς relatum sententiae vim infringat, ad ἀντιβάς paene necessario desideratur. ἀντιβάς enim est postquam renisus est, non „renitens", quod foret ἀντιβαίνων. Locum sic constitutum omni offensione liberum atque adeo poeta nostro dignissimum censeo: coactus et saepe renisus aegre filiam mactavit.

Antig. vs. 226.

πολλὰς γὰρ ἔσχον φροντίδων ἐπιστάσεις,
ὁδοῖς κυκλῶν ἐμαυτὸν εἰς ἀναστροφήν.

Locum aggredior, quem corruptum esse in confessis est. Nam ὁδοῖς, in quo vel explicando vel emendando tamquam in cardine res versatur, nec esse potest, in iti-

nere faciendo, ut voluit Brunchius, quod foret *ἐν ὁδῷ*, nec, ut Seyffertus olim interpretatus est, spatiis faciendis, quod et contra naturam est et cum verbis *εἰς ἀναστροφὴν κυκλῶν* pugnat.

De medela vero magna est dissensio. *ποδοῖν* Seiffertus excogitavit, quo tamen infelicius excogitare nihil poterat. Itaque ipse conjecturae inventor ea rejecta aliam proposuit, *οἰδῶν*, quod post *πολλὰς ἔσχον φροντίδων ἐπιστάσεις* inutile est. Non melius Raspius *ὥστ᾽ ἂν κυκλῶν ἐμαυτὸν εἰς ἀναστροφήν* temptavit. Quamquam enim *ἂν* apte additum esse putat, cum saepius repetitam rem indicet, mihi hoc *ἂν* ad *πολλάς* relatum dici potuisse non videtur. Nam indefinitam quandam vim habet (Krüger: insofern die Wiederholung in der Vergangenheit als eine vorkommenden Falls eingetretene zu bezeichnen ist). Praeterea propter audaciam ne minimam quidem probabilitatem habet. Blaydesius *ὁδοῦ καλῶν* proposuit, quod tamen a muntii simplicitate alienum esse puto. Unum, quod ceterorum criticorum conjecturis aptius et propemodum necessarium est, invenisse mihi videor. Pro *ὁδοῖς* enim *ἀεὶ* scribendum esse censeo. Necessarium enim tale quid esse, quod saepius rem repetitam indicet, Raspius acute perspexit. Ut enim nunc verba se habent, nihil aliud dicunt, quam hoc: me vertens ad redeundum multas curas habebam vel potius cepi. *ἀεὶ* igitur est *ἑκάστοτε*, quoties tales curae mihi occurrebant „immer mich wendend zur Umkehr". Similem colorem habet locus Euripideus (Heracl. 994) *καὶ πόλλ᾽ ἔτικτον νυκτὶ συνθακῶν ἀεί*. Rem ipse nuntius vss. 228 — 230 describit. Nam haec secum volvens: *τάλας, τί χωρεῖς οἷ μολὼν δώσεις δίκην*, substitisse, sequenti deliberatione: *τλήμων, μενεῖς αὖ κ. τ. λ.* rursus ad pergendum impulsus esse cogitandus est.

Aj. vs. 1275.

ἑρκέων ποθ᾽ ὑμᾶς οὗτος ἐγκεκλῃμένους
ἤδη τὸ μηδὲν ὄντας, ἐν τροπῇ δορός
ἐρρύσατ᾽ ἐλθὼν μοῦνος.

Ajax Graecos impetu in Trojanos facto eo momento

servasse dicitur, quo castris inclusi jam nullam salutis spem habuerint. Quaeritur, quid significet ἐν τροπῇ δορός. Hoc enim duas interpretandi rationes admittit, quarum utra vera sit videamus.

Si τροπὴ δορός de hostibus fugatis dictum intelligimus, hunc sensum requiri apertum est, Ajacem restituto proelio Graecos servasse. Hanc tamen sententiam e verbis ἐν τροπῇ δορός elici posse nego. Impedimento enim est praepositio ἐν, qnae non habet causalem vel instrumentalem vim, sed, ut Ellendtii verbis utar, rem certis datis certove tempore factam declarat, ut hic in conversione proelii, h. e. cum jam proelium restitutum fuerit, auxilium Ajax tulisse Graecis videatur. Recte dicitur ἐν γήρᾳ βαρύς (h. e. ἐν γήρᾳ ὢν βαρύς) cujus similia exempla multa colligi possunt. Sed his elocutionibus nostrum ἐν τροπῇ δορός esse posse „durch eine Wendung des Kampfes“ non probatur.

Multo minus etiam sanitatis habet altera explicatio, quae illa aliquanto simplicior est, „in fuga vos servavit“. Hoc vero vehementer languet. Nam cum Teucer Graecos inclusos, jam de omni salute desperasse exposuerit, quid attinebat dicere, in fuga eos fuisse? Si quid ad hanc miserae condicionis descriptionem addere poeta volebat nihil apponere poterat, quam tale quid, quod eam aut cumularet aut comprehenderet. Quid igitur poeta scripsisse potest, quam ἐν ῥοπῇ δορός, quod apte omnia una summi discriminis notione complectitur?

Phil. vss. 867.

ὦ φέγγος ὕπνου διάδοχον, τό τ' ἐλπίδων
ἄπιστον οἰκούρημα τῶνδε τῶν ξένων.

Nauckius dubitat, num propter grammaticam rationem ἐλπίδων ἄπιστον οἰκούρημα dici potuerit. Et habet sane aliquid molesti, cum negandi vis, qua in talibus elocutionibus (ἄσκευος ἀσπίδων, ἄκλαυτος φίλων, ἄτεκνος ἄρσενος παιδός) genitivus regitur, in voce ἄπιστος paene evanuisse videatur. Senties hoc, quod volo, si nostrum „unglaublich“ consideraveris. Nam si Graeci ἐλπίδων ἄπιστος dicunt,

nobis dicendum est unglaublich an Hoffnungen cum simplex illud *ἄπιστον* (unglaublich) magis consentaneum foret.

Deinde apertum est, illud *ἄπιστον* optime satisfacere sententiae, et vim ejus esse talem, ut apposito *ἐλπίδων* neque definiatur neque cumuletur. Immo *ἐλπίδων* ejusmodi est, ut saperfluum sit, ergo verborem gravitatem imminuat. Nam si aliquid *ἄπιστον* (insperatum) est tunc id insperatum esse spe per se patet. Quod cum a Sophocleo cothurno alienum sit, facere non possum, quin corruptelam suspicer. Hanc autem non in voce *ἐλπίδων*, quamquam nunc languet, latere puto, sed in *ἄπιστον*, quod glossa ortum esse existimo. Quapropter elocutionem restituendam esse duco, quae *ἐλπίδων* servato eundem sensum habeat atque traditum illud *ἄπιστον*. Talem autem habemus, si *ἐλπίδων περρισόν* scribimus, cui dictioni simillimum est, quod Aeschylus Ag. 254 dixit *χάρμα μεῖζον ἐλπίδος*. *περισσός* cum genitivo conjunctum legitur El. 155.

Aj. vss. 463 sqq.

πῶς με τλήσεταί ποτ' εἰσιδεῖν
γυμνὸν φανέντα τῶν ἀριστείων ἄτερ,
ὧν αὐτὸς ἔσχε στέφανον εὐκλείας μέγαν;

Dici potuissi *μέγας στέφανος εὐκλείας τῶν ἀριστείων* non magis credere possum, quam Nauckius. Dicitur et *στέφανος τῶν ἀριστείων*, summum virtutis praemium, et *στέφανος εὐκλείας* summa gloria (Ruhmeskranz). Sed quid sibi vult *ὁ μέγας στέφανος τῶν ἀριστείων*, cum ipsum *στέφανος τῶν ἀριστείων* summum sit virtutis praemium? Quid porro est *ὁ στέφανος εὐκλείας* (Ruhmeskranz) *τῶν ἀριστείων*? Opimum profecto, ne quid gravius dicam dicendi genus exoritur his *μέγας στέφανος εὐκλείας τῶν ἀριστείων* in unum conjunctis et conglutinatis. Itaque totum versum ejiciendum judicarem, nisi illius offensionis facilis medela suppeteret. Nam haec quidem offensio sublata erit, *μέτα* pro *μέγαν* scripto. Quamquam etiam nunc haereo in verbis: *πῶς με τλήσεταί ποτ' εἰσιδεῖν γυμνὸν φανέντα τῶν ἀριστείων ἄτερ* (h. e. sine illis Achillis armis a ducibus tamquam summae virtutis praemio propositis) *ὧν αὐτὸς*

ἔσχε στέφανον εὐκλείας μέτα, ut non multum absit, quin totum versum ejiciendum esse judicem.

VII.

Saepenumero poetas ubertatis quandam speciem affectantes verba, quae nobis satis superflua videri possunt addidisse constat. Nonnunquam tamen facili emendatione alia restitui possunt, quae nervosiora ideoque poeta digniora putanda sunt.

Oe. Col. vs. 1558.

ὡς μὲν γὰρ ἐνθένδ' εἷρπε, καὶ σύ που παρὼν
ἔξοισθ' ὑφηγητῆρος οὐδενὸς φίλων,
ἀλλ' αὐτὸς ἡμῖν πᾶσιν ἐξηγούμενος.

φίλων hic satis inutile est. Ubi enim de illa mira caecis oculis itineris inveniendi facultate agitur, nihil attinet, utrum amicorum aliquis h e. filiarum et regis, an alius quilibet eum non duxerit.

Ipse, opinor, senties, si tantum scriptum esset: *οὐδενὸς εἷρπε ὑφηγητῆρος ἄγοντος ἀλλ' αὐτὸς ἡμῖν πᾶσιν ἐξηγουμενος,* hoc non modo esse satisfacturum, sed etiam aliquantulo fortius et aptius esse quam illud *εἷρπε οὐδενὸς ὑφηγητῆρος φίλων, ἀλλ' αὐτὸς ἡμῖν πᾶσιν ἐξηγούμενος·* Deinde aliquid ambigui habent verba *ὑφηγητῆρος οὐδενὸς φίλων,* est enim: cum nemo amicorum eum duceret, quod non satis aperte indicat, omnino nulle duce Oedipum esse usum, sed tantum, eum non amicorum uno duce usum esse. Jam vides, si *φίλων* abesset, aptius conjungi *οὐδενὸς ὑφηγητῆρος;* nullo duce. Itaque *φίλων* proclivi errore ex *θιγών* ortum esse judico, quae mutatio lenissima est: *ΘΙΓΩΝ ΦΙΛΩΝ.*

Aj. vs. 81

μεμηνότ' ἄνδρα περιφανῶς ὀκνεῖς ἰδεῖν;

Sic versu interpuncto non liquet, quo sit trahendum *περιφανῶς*. Namque ad *μεμηνότα* adnexum, non solum supervacaneum, sed etiam aliquo modo molestum est. Neque aptius est ad *ὀκνεῖν* relatum, quocum propter verborum collocationem conjungendum esse videtur: aperte me-

tuis hominem insanientem videre? Nihil profecto interest, utrum aperte an occulto illum Ulixes metuat. Tertium foret, si quis περιφανῶς ἰδεῖν conjungi vellet, quod eadem offensione laborat et verborum ordine exploditur. Quapropter pro interrogandi signo punctum in fine versus ponendum esse puto, ut haec evadat sententia: Manifesto virum insanientem videre metuis, quod idem est atque hoc: erga quia insanit Ajax videre eum te metuere apertum est, ad quod rem concedens Ulixes, haec sane, inquit, causa est. Nam si sana esset mente non eum metu vitarem.

Phil. vs. 1060.

τί δῆτα σοῦ δεῖ; χαῖρε τὴν Λῆμνον πατῶν·
ἡμεῖς δ' ἴωμεν·

In his verbis per se nihil est, quod offendere possit. Acrior tamen fit irrisio, si pro *τήν* lenissima mutatione *σήν* restituimus. Nam *τήν* hic nullam vim habet, habet contra *σήν* haut exiguam. „Delectare calcanda Lemno tua“ h. e. quam unam diligere videris ut eam cuicunque regioni praeferas, hoc acerbius esse quam simplex illud „delectare Lemno calcando“ quis negabit?

VIII.

Restat, ut de iis locis disseramus, in quibus propter grammaticae vel omnino linguae leges aliquid vitii inesse putandum est. Atque de iis quidem, in quibus jam ante me critici haeserunt, primo disputabimus, de ceteris post videamus.

Ant. vss. 1155 seq.

οὐκ ἔσθ' ὁποῖον στάντ' ἂν ἀνθρώπου βίον
οὔτ' αἰνέσαιμ' ἂν οὔτε μεμψαίμην ποτέ.

De hoc loco, de quo jam multum disputatum est, iterare certamen audeo, cum nihil adhuc prolatum esse videam, quo res confecta esse putari possit. Atque ex iis quidem, qui codicum auctoritatem tuiti sunt, copiose disputavit Kuicala (Abhandlungen der Wiener Ac. 1865.) Hic igitur ceterorum interpretum commentis ita refutatis, ut iterum refutare nihil attineat, Schneidewini interpretatio-

nem unice probat: kein Leben, mag es sich gestellt haben wie es will, kann ich ferner weder loben noch tadeln.

Sed ut planam, quam Kuicala proposuit disputationem sequar, ex his formulis: *οὐκ ἔστι βίος, ὁποιοσοῦν στάς, ὃν ἂν αἰνέσαιμι* vel: *οὐκ ἔστι βίος ὁπηοῦν στάς, ὃν ἂν αἰνέσαιμι* nostram elocutionem oriri posse nego. Ex illa tantum hoc elici potest: *οὐκ ἔστιν ὃν ἂν βίον, ὁπηοῦν στάντα, αἰνέσαιμι*, ex altera hoc: *οὐκ ἔστιν ὃν ἂν βίον ὁποιονοῦν στάντα, αἰνέσαιμι.* Anologia illius formulae, qua etiam Kuicala utitur vel potius abutitur: *οὐκ ἔστιν ὅντινα ἂν βίον αἰνέσαιμι* pro hac: *οὐκ ἔστι βίος ὅντινα ἂν αἰνέσαιμι*, nostrum *οὐκ ἔστιν ὁποῖον στάντα βίον αἰνέσαιμ' ἂν* tantum ex hac elocutione: *οὐκ ἔστι τοιοῦτος βίος στάς, ὁποῖον ἂν αἰνέσαιμι* vel *οὐκ ἔστι τοιοῦτος βίος, ὁποῖον στάντα αἰνέσαιμι ἂν* ortum esse convincitur. Utrumque autem hanc tantum sententiam praebere potest: nullam vitam, dum stat, qualiscunque est, laudaverim, quae quamquam a Boeckhio comprobata est, tamen hic ineptissima est. Itaque si eam sententiam, quam Schneidewinus verbis inesse putat, proferre volebat poeta, sic potius scribere delebat: *οὐκ ἔστιν ὅντινα ἂν βίον ὁποιονοῦν στάντα αἰνέσαιμι.*

Itaque ne Ellendtii quidem explicatione: *οὐκ ἔστι βίος τοιοῦτος ὥστε ἐπαινέσαιμι ἂν στάντα ὁποιονοῦν* difficultatem tolli patet. Nam *ὁποῖος* ille bis posuit, primum relativo sensu, *οὐκ ἔστι τοῖοῦτος βίος, ὥστε* (h. e. *ὁποῖον), ἐπαινέσαιμι ἄν,* et mox sensu indefinito: *ὁποιονοῦν στάντα,* quod falsissimum est. Nam nostrum *ὁποῖον (οὐκ ἔσθ' ὁποῖον κ. τ. λ.)* jam primo *ὁποῖον,* quod in *τοιοῦτος ὥστε* latet, quasi absumptum est, ergo non iterum sensu indefinito ad *στάντα* suppleri potest.

Sensum igitur, quem illi statuerunt, sanum, verba falsa esse vidimus. Emendandum autem esse locum sic puto. *ὑποῖον ἄν τιν' ἀνθρώπον βίον κ. τ. λ.* quod etiam Meinekium invenisse video et alios quoque post me inventuros esse credo. Nam simplicissimum est et litterarum similitudine commendatur. Certe Nauckii conjectura *πάντ' ἂν* falsa est. Tale enim „ab omni parte“ sententiam corrum-

pit. Nam non ab omni parte nullam vitam nuntius laudare vult, sed omnino a nulla parte.

Occasione oblata locum Euripideum simili vitio purgare liceat. Legitur Andr. vs. 1069:

οὐχ ὅσον τάχος
χωρήσεταί τις Πυθικὴν πρὸς ἑστίαν,
καὶ τἀνθάδ' ὄντα τοῖς ἐκεῖ λέξει φίλοις;

Sententia est: nuntiabit, quae hic aguntur, quod alias nudum τὰ ἐνθάδε est. ὄντα igitur non modo superfluum est, sed etiam molestum atque ineptum, cum significet: das hier befindliche. Itaque pro ὄντα οἷα, scil. ἐστί, scribendum erit, de qua ellipsi conf. Ant. 318, Oed. R 928, Aj. 103, 118.

Antig. vs. 1066.

ἀλλ' εὖ γέ τοι κάτισθι μὴ πολλοὺς ἔτι
τροχοὺς ἁμιλλητῆρας ἡλίου τελῶν,
ἐν οἷσι τῶν σῶν αὐτὸς ἐκ σπλάγχνων ἕνα
νέκυν νεκρῶν ἀμοιβὸν ἀντιδοὺς ἔσει.

Pro ἐν οἷσι scribendum esse ἕως σύ jam pridem suspicatus sum. Nec tamen hanc conjecturam hic proponerem, cum jam ante me Morstadtium in eam incidisse cognoverim, nisi eam prorsus neglectam jucere viderem. Unus Kuicala eam commemorat, sed prorsus temerariam et inutilem dicit, quod judicium, quasi de me ipso nominatim factum esset, aegre me tulisse fateor. Quapropter probare conabor, eam non modo non inutilem, sed adeo necessariam esse.

vs. 1065. ἡλίου τελῶν retineas an ἥλιον τελεῖν, quod equidem probo, scribas, ad conjecturam nostram non multum refert. ἥλιον τελεῖν scripto, sensus hic est, non multa temporis spatia praeteribunt, dum-daturus eris. Sed, ut altius rem repetam, dici sane potest: intra minus tres dies morieris, h. e. non pleni tres dies praeteribunt usque ad mortem tuam, vel; non tres dies praeteribunt donec morieris. Sed falsissimum est si dicas: non tres dies praeteribunt, intra quos morieris. Illi igitur dies non praeteribunt? Spatium sumis, cujus extremus finis tertia abhinc dies sit, intra quod mortem accidere necesse sit, et hoc

spatium praeterlapsurum esse negas? Sed hoc dicere potes: non tres dies praeterlabentur, dum morieris, cum sic illud spatium minus esse trium dierum dicas. Dicere ergo poetam oportebat aut: *ἐν παύροις ἡλίου ἁμιλλητῆρσι τροχοῖς ἀντιδοὺς ἔσει*, aut: *οὐ πολλοὺς ἔτι ἁμιλλητῆρας τροχοὺς ἥλιος τελεῖ, ἕως ἀντιδοὺς ἔσει.* Neque aliter rem se habere, si traditum *ἡλίου τελῶν* tueri mavis, patet. Nam dicendum est non „non multos dies vives, intra quos daturus eris", sed „non multos conficies dies dum dabis."

Certum igitur et evidens est, nostri loci rationem illud *ἕως* requirere, quod illa conjectura facillime consequimur. *σύ* autem elegantiae quandam speciem prae se fert, cum sententiae acerbitatem ipsa oratione et declamatione adjuvet, quod cerni potest etiam vs. 1085: *τῶν σὺ θάλπος οὐχ ὑπεκδραμεῖ* et Eur. Alc. vs. 64 et 72, ubi in altercando Apollo

ἦ μήν, inquit, *σὺ παύσει, ὠμὸς ὢν ἀγάν.*

et paulo post Mors

πόλλ' ἂν σὺ λέξας οὐδὲν ἂν πλέον λάβοις.

Ant. vs. 1249.

κἀυτὸς τεθάμβηκ': ἐλπίσιν δὲ βόσκομαι
ἄχη τέκνου κλύουσαν ἐς πόλιν γόους
οὐκ ἀξιώσειν, ἀλλ' ὑπὸ στέγης ἔσω
δμωαῖς προθήσειν πένθος οἰκεῖον στένειν.

Merito Nauckium aliosque criticos elocutionem hanc: *εἰς πόλιν γόους οὐκ ἀξιώσειν* suspectam habuisse puto. Nam *γόους εἰς πόλιν* (publicas querelas) *ἀξίους νομίζειν* Graece dictum esse incredibile est. *γόους εἰς πόλιν γοᾶσθαι* recte dictum foret, *γόοι εἰς πόλιν* inauditum est. Certe *γοᾶσθαι* suppleri posse hodie nemo sibi persuadebit. Hac re commotus Wolffius aliter verbis constructis linguae legibus satisfacere studuit. *στένειν* enim etiam ad *γόους ἀξιώσειν* pertinere vult et ob hanc causam in extremo fine enuntiati collocatum esse existimat. Haec tamen constructio contorta ac perdura est: *ἐλπίζω αὐτὴν ἐς πόλιν γόους (στένειν) οὐκ ἀξιώσειν, ἀλλὰ ὑπὸ στέγης ἔσω δμωαῖς προθήσειν πένθος οἰκεῖον στένειν.* Quis enim nisi virgulis

et adnotatione critica admonitus ἀξιώσειν ab γόους dirimet? Haec profecto ratio ne declamando quidem satis dilucide exprimi potest. Huc accedit, quod στένειν, quod supplere jubemur, ab ἀξιώσειν, alterum autem a novo verbo προθήσειν pendet, accedit etiam, quod prius illud στένειν flere, fletu edere significaret et cum accusativo, qui dicitur interioris objecti, conjunctum foret, mox autem sensu deflendi dictum et cum objecto, quod proprie sic appellatur, conjunctum foret. Itaque hanc constructionem *οὐκ αὐτὴν γόους, ἀλλὰ τὰς δμωὰς ὑπὸ στέγης στένειν ἀξιώσειν* ferri posse, nostrum vero *ἐλπίζω αὐτὴν ἐς πόλιν γόους (στένειν) οὐκ ἀξιώσειν, ἀλλὰ ὑπὸ στέγης δμωαῖς προθήσειν πένθος οἰκεῖον στένειν* intolerabile esse patet.

Denique etiam futurum tempus ἀξιώσειν offensioni est. Omnibus enim rebus compertis jam nihil reliquum erat reginae nisi ut in querelas erumperet. Itaque cum causam nuntius rei mirae circumspiciat, ideo reginam tacentem domum rediisse sperat, quod illas querelas publice effundere inhonestum p u t e t, non vero quod aliquando vel semper putatura sit. Ergo non ἀξιώσειν γόους reginam, sed ἀξιοῦν nuntium sperare necesse est. Ac ne quis sequens προθήσειν mihi objiciat, monendum est, hoc προτιθέναι rem esse exspectatam et futurum. Ut igitur in ea futurum necessarium est, ita illic, ubi de re praesenti agitur, falsum est.

Locum igitur corruptum esse Blaydesius recte statuit. Sed conjectura, quam proposuit, mira est et talis, ut morbum morbo sanet. ἐξανήσειν enim linguae quidem legibus satisfacit, sed sententiam corrumpit. Locus enim sic constitutus hanc haberet sententiam: spero fore ut regina non publicas querelas effundat. Quasi vero nuntius nunc modestiam et honestatem reginae curaret. ἀξιοῦν igitur retinendum est, cum causam indicet, ob quam reginam rediisse domum nuntius suspicatur.

His ita consideratis ἀξιώσειν ex ἀξιοῦν χεῖν conflatum esse puto, quod vitiorum genus in omnibus fabulis Sophocleis grassatum esse constat, hic autem eo facilius oriri poterat, quod infra προθήσειν legitur.

El. vss. 902—904.

κεὐθὺς τάλαιν᾽ ὡς εἶδον, ἐμπαίει τί μοι
ψυχῇ σύνηθες ὄμμα, φιλτάτου βροτῶν
πάντων Ὀρέστου τοῦθ᾽ ὁρᾶν τεκμήριον·

Multum hic locus vexatus est ab interpretibus. Corruptum eum esse jam aliquot abhinc annos judicavi. Sed cum de suspicione mea ipse postea dabitare coeperim, nunc tandem, cum etiam Hermannum partim mecum facere videam, quid sentiam proferre audeo.

Difficultas autem loci est duplex. Nam si *ὄμμα* de specie interpretamur, quae animo obversetur h. e. de opinione subito oborta, sequentia ita iis subjici necesse est, ut illam speciem explicent: species in animum mihi incurrit, vel si L. A. pr. m *ψυχῆς* praeferas, species animi subito mihi oboritur, haec me — videre. Tum vero *σύνηθες* non conveniens est, cum talis opinio potius insolens, inexspectata dicenda fuerit. Nam *συνήθης* non est *προσφιλής*, sed id, quod longo usu ac consuetudine familiare nobis factum est, quod in talem opinionem minime quadrat. Sin autem *ὄμμα φιλτάτου βροτῶν* conjungimus, ut alii interpretes voluerunt, tum sequens infinitivus claudicat nec habet quo nitatur.

Itaque sic quondam locum emendandum esse putavi: *ἐμπαίει τί μοι ψυχῇ σύνηθες ὄνομα* (in *ὄνομα* etiam Hermannum incidisse Michaelis adnotat) *φιλτάτου βροτῶν πάντων Ὀρέστου τόδε θ᾽ ὁρᾶν τεκμήριον.* Hoc ita explicandum est: in animum mihi incurrit nomen familiare, carissimi omnium mortalium, Orestis, et (scil. cogitatio) hoc me videre fratris documentum (ex quo eum praesentem esse appareat). *ἐμπαίει* sic duplici modo constructum foret. Cum infinitivo conjungi posse videtur ex analogia verbi *παρίστασθαι.*

Hoc etiam nunc retineo, quamquam si quis *ὄμμα* tueri malit, equidem non vehementer obloquar, etsi *σύνηθες* melius quadrare puto ad nomen, quam ad speciem Orestis: in animum mihi incurrit species familiaris fratris carissimi; (h. e. imago, opinior, sive facies) et hoc me videre documentum.

*

Ant. vss. 882 sq.

ἀρ' ἴστ' ἀοιδὰς καὶ γόους πρὸ τοῦ θανεῖν
ὡς οὐδ' ἂν εἷς παύσαιτ' ἄν, εἰ χρείη λέγειν.

In constructione durissima criticorum neminem offendisse vehementer miror. E *χρείη λέγειν* enim *λέγων* ad *παύσαιτ' ἂν* supplendum esse dicunt. Si *ἀοιδὰς καὶ γόους* non additum esset *(οὐδ' ἂν εἷς παύσαιτ' ἄν' εἰ χρείη λέγειν)* nihil contra disputarem, quamquam non participium ipsum suppletur, sed tantum notio verbi subcogitatur. Tale vero participium ita, ut etiam accusativi *γόους καὶ ἀοιδὰς* ab eo pendeant, ex hoc *χρείη λέγειν* suppleri posse, mihi quidem incredibile est. Nihil reprehendi posset, si *ἀοιδὰς καὶ γόους* post *χρείη λέγειν* positum esset. Sed talis constructio: *οὐδεὶς ἂν παύσαιτο ἀοιδὰς καὶ γόους (λέγων) εἰ χρείη λέγειν;* et in Graeca et in quavis alia lingua intolerabilis est.

Accedit, quod *ἀοιδάς* a Graecis *λέγεσθαι* potuisse nemo probabit. Haec offensio maneret, si *λέγων* pro *λέγειν* scriberetur, quod eo quoque nomine falsum est, quod sic verborum ordo evaderet, quali tirones, grammaticae tantum leges consulentes uti solent. Itaque cum *παύεσθαι* transitivo sensu accipi nequeat, *παύσειεν* restituendum esse judico, planissimo et sensu et constructione. Nunc *λέγειν* per se accipiendum est: wenn man ihm zu reden erlaubt.

Antig. vss. 726—728.

οἱ τηλικοίδε καὶ διδαξόμεσθα δὴ
φρονεῖν ὑπ' ἀνδρὸς τηλικοῦδε τὴν φύσιν;
ΑΙΜΩΝ
μηδὲν τὸ μὴ δίκαιον.

Wolffius jure negat *μηδὲν τὸ μὴ δίκαιον* explicari posse, nihil quod injustum sit. Nihil enim differt, dicas, nihil quod injustum est, an nihil injustum, nihil, utrum *οὐδεὶς ὅστις ἐστὶν Ἀθηναῖος* an *οὐδεὶς Ἀθηναῖος*. Quod si interpretes *οὐδὲν τὸ μὴ δίκαιον* dictum esse pro *οὐδὲν ὅτι μὴ δίκαιόν ἐστιν* credunt, etiam hoc credere debent, *οὐδεὶς ὁ Ἀθηναῖος* pro *οὐδεὶς ὅστις Ἀθηναῖός ἐστιν* Graece dici potuisse. Neque quod ab editoribus in comparationem vo-

catum est: *ἄπορος ἐπ' οὐδὲν ἔρχεται τὸ μέλλον* (Ant. 359) huc referri debebat. Nam hoc recte quidem dictum sed falso a plerisque explicatum est. *τὸ μέλλον* enim interpretandum videtur: in posterum, posthac, ut vs. 611 *(τό τ' ἔπειτα καὶ τὸ μέλλον καὶ τὸ πρὶν ἐπαρκέσει).*

Itaque cum *μηδὲν τὸ μὴ δίκαιον* sic explicari nequeat, *μηδέν* adverbialiter, e nulla parte, Wolffius, interpretatur. Sed primum notanda est inconcinnitas responsi: Nam hoc „durchaus nichts Ungerechtes" ita tantum consentaneum esset, si Creon *τοιαῦτα δή* vel *ποῖα διδαξόμεθα* vel simile quid interrogavisset. Majorem etiam molestiam parat articulus *τὸ δίκαιον*. Qui enim *τὸ μὴ δίκαιον* discit, is *τὴν ἀδικίαν* discit. Nam ea est articuli vis, ut quidquid injustitiae notione comprehenditur, conjunctum proponat, ut apud Sophoclem *τὸ γενναῖον, τὸ σύνηθες* (nobilitas, consuetudo) legitur. Sed hic de una re agitur, quae non injusta esse dicitur, ut jam articulum removendum esse pateat.

τό igitur in *γέ*, mutandum esse existimo, quae particula propter respondendi rationem paene necessaria est. concedit enim Haemon illud *διδαξόμεθα* vere sibi exprobrari, sed limitat simul concessum.

El. vs. 929

κατ' οἶκον, ἡδὺς οὐδὲ μητρὶ δυσχερής.

Haud eleganter poetam hic locutum esse, si haec sic scripsit, facile unus quisque mihi concesserit. Quamquam enim Graeci saepe singula verba in altero enuntiati membro collocaverunt, cum etiam ad prius pertineant, tamen in membris adversative conjunctis haec orationis neglegentia, alias venusta, dura fit ac molesta. Itaque nostrum, gratus sed non matri molestus, talibus exemplis, quale hoc est, *φράζων ἅλωσιν Ἰλίου τ' ἀνάστασιν* vix defenditur. Mihi quidem poeta scripsisse videtur: *κατ' οἶκον, ἡδὺς μητρί, δυσχερὴς δὲ νῷν.*

Ant. vss. 327—329.

ἀλλ' εὑρεθείη μὲν μάλιστ'· ἐὰν δέ τοι
ληφθῇ τε καὶ μή, τοῦτο γὰρ τύχη κρινεῖ,
οὐκ ἔσθ' ὅπως ὄψει σὺ δεῦρ' ἐλθόντα μέ.

Ad *καὶ μή* nihil e verbis praecedentibus suppleri potest, nisi *ληφθῇ*. Verba autem *ἐαν ληφθῇ τε καὶ μὴ ληφθῇ* esse posse, quod Nauckius putat, idem atque *ἐάν τε ληφθῇ, ἐάν τε μὴ ληφθῇ*, fortiter nego. Ut nunc verba scripta sunt, una tantum condicio proponitur: si autem deprehenditur et non deprehenditur, quasi utrumque simul fieri posse nuntius dicat. Itaque cum haec esse debeat sententia: sive reperitur, sive non reperitur, tu me neutro modo huc regressum videbis, duplex autem condicio duplicem particulam cendicionalem requirat, hanc sic restituendam esse mihi persuasum est: *ἐὰν δέ τοι ληφθῇ τ' ἐάν τε μή, τὸ γὰρ τύχη κρινεῖ, οὐκ ἐσθ' ὅπως ὄψει σὺ δεῦρ' ἐλθόντα με.* Corruptelae origo ea fuisse videtur, quod librarii pro *τό* contra metrum *τοῦτο* inserebant, quo facto antecedentia sic correcta sunt, ut nunc scripta exstant.

Ant. vs. 447.

ᾔδης τὰ κηρυχθέντα μὴ πράσσειν τάδε.

Pro *ᾔδης τά* Cobetus certa conjectura *ᾔδησθα* restituit. Illum librariorum errorem causam extitisse puto alterius corruptelae, quae tamen non minus facile sanari potest: *κηρυχθέντα* enim ortum esse censeo e *κηρυχθὲν τό*. Nam talis participii vel adjectivi pluralis sic tantum admittitur, si cum copula conjunctum praedicatum, quod dicitur, conformat. (vid. Wolff. a. h. l.) Eadem corruptela Eur. Alc. 706 editores fugit. Nam pro *πλείω λέλεκται νῦν τε καὶ τὰ πρὶν κακά* scribendum esse *πλείω λέλεκται νῦν τε καὶ τὸ πρὶν κακά* particularum *τέ — καί* ratio demonstrant.

Phil vs 231.

οὐ γὰρ εἰκὸς οὔτ' ἐμὲ
ὑμῶν ἁμαρτεῖν τοῦτο γ' οὔθ' ὑμᾶς ἐμοῦ

ἁμαρτεῖν τι a Graecis alio sensu, quam qui hic necessarius est, usurpari solet. Nam si lexicographis et grammaticis fides habenda est, accusativus semper est interioris objecti. (Conf. Krüger. 47, 14. 5.) Itaque *τοῦτο ἁμαρτεῖν* idem sit necesse est atque: *ταύτην τὴν ἁμαρτίαν ἁμαρ-*

τεῖν, quod absurdum est. Sensu autem verbi ἀποτυγχάνειν semper cum genitivo conjungitur, quem hic quoque perleni medela τοῦδε γε scribendo restituendum esse judico.

Vita.

Natus sum K. Walter, Freienbessingae, in vico quodam provinciae Saxoniae anno hujus saeculi quinquagesimo primo die quinto mensis Decembris, quo in vico pater meus sacris ministrandis praeerat. Quo praematura morte orbatus, cum quartum aetatis annum nondum confecissem, cum matre et fratribus Arnstadtiam migravi, ubi usque ad triennium academicum perpetuo versatus sum. Liberalius coeptus sum in gymnasio institui, cum novem annos natus essem.

Paullo post Pabstio, cujus viri praestantissimi auspiciis tum gymnasium florebat, morte ablato, scholae gubernatio delata est Kroschelio, viro et doctrina et animi bonitate pariter ornato, cui gratias ago quam maximas. Anno 1872 maturitatis nactus testimonium, inter cives academicos literariae universitatis Halensis receptus sum, theologiae et philologiae operam navaturus. Sed cum per semestre spatium in unam theologiam incubuissem, mutato consilio ad philologiam me contuli. Unum igitur et dimidium annum scholis professorum illustrissimorum Keil, Bernhardy, Ulrici, aliorum, usus, ad Jenensem literarum universitatem me contuli, unde jam dimidio anni post Halam redii. Ibi annum moratus Lipsiam demigravi scholisque nonnullis professorum illustrissimorum Curtius, Ritschl, Zarncke per hiemem interfui.